



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

Sectio II. De contumacia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

tum hunc non fuisse. Quod si tamen dolo non dedit causam contractui, sed incidat tantum in contractum, quamvis ad interesse competat actio, contractus tamen talis nec invalidus redditur, nec ad petitionem decepti per appositam doli exceptionem rescindi debet, cum taliter deceptus verè & absolute in contractum talem confenserit. Vide alia, quæ tam hoc §. quàm duobus sequentibus ex jure Civili ab Auctore Method. referantur.

SECTIO II.

De contumacia.

§. I.

*Quid & quotuplex sit contumacia,
& quibus modis quis constituitur
contumax?*

CONTUMACIA est inobedientia à legitime vocato contra judicem in illis, quæ ad judicium pertinent, commissâ. Et quamvis pluribus modis committatur contumacia, duplex tamen comuniter dicitur esse contumacia, vera, & ficta, seu interpretativa, aut præsumptiva. Vera contumacia committitur, cum quis coactive legitime citatus, ad cujus notitiam facta citatio etiam pervenerit, tamen non comparet, quamvis nullum legitimum impedimentum obsit. Præsumpta seu ficta est, cum quis per edictum legitime citatus, de quo tamen dubium sit, utrum ad illius notitiam pervenerit citatio, non comparet; præsummitur verò hic talis à jure contumax, nisi postea moram purget, & justam causam alleget, ac probet, cur non comparuerit: neque tamen ex sola non comparitione constituitur quis contumax: sed ex eo etiam, si mali-

tiolè se absentet, aut abscondat, ne ad eum perveniat citatio, si compareat quidem, infecto tamen negotio sine Judicis licentia discedat, non rediturus ad judicium; si actor venit quidem ad judicium in termino citationis, actionem tamen aut suæ actionis Libellum nullum edit, vel non prosequitur litem, si Reus nõ respondeat, ad omnes articulos ab Actore propositos, vel obscure tantum, & nihil categoricè respondeat, si non probent allegata & deducta, vel nõ pareant mandatis Judicium in illis quæ ad causam pertinent, si executionis sententiæ repugnent &c. quibus in casibus ad instantiam partis contra contumaciam procedi potest à Iudice.

§. II.

*Quomodo procedendum sit contra
Actorem contumacem?*

SI Actor post oblatum Libellum contumaciter absit, & legitime citatus non compareat, ad contestandam, & prosequendam litem, potest Iudex de jure Canonico (quidquid sit de jure Civili, juxta quod plures dilationes, & annus integer Actori ad comparandum indulgetur, ante litem contestatam) auditis, & receptis testibus Rei præsentis & hoc petentis, si causa illius rite probata fuerit, ad sententiam definitivam procedere, vel si de causa rei non liqueat, absolvere hunc ab hac instantia, uti summitur ex *Causam 3. h. e.* ne scilicet ex contumacia sua post litem captam commodum aliquod habeat contumax Actor, qui cum ad litem provocaverit, merito contra se pati debet Rei probationes & Judicis sententiam, cum tamen hoc de Reo qui invitatus ad litem trahitur, quamvis contumaciter

maciter absit, dici non possit. Conceditur quidem Actori in *c. Actor. l. h. t. in 6.* si post terminum citationis, ad quem reum adesse voluit, & comparuit hic, actore non comparente appareat, quod reum iterum citare velle possit, non vult, tamen audiendum eum Pontifex, nisi prius legitimas expensas, quas adversarius ob eius absentiam facere debuit, solvat, & cautionem sufficientem præstet, quod in termino constituto sit compariturus, cum pars innocens damnum pati non debeat propter alterius malitiam, neque credi possit, illi sine cautione sufficiente, qui semel in comparendo malitiosus fuit.

§. III.

Quomodo procedendum sit contra Reum contumacem spectato præcipue Iure canonico?

SI Reus post litem contestatam sit contumax, tum vel liquet de causa, & ferri debet sententia definitiva: vel non liquet: & Actor mitti debet in veram possessionem reservatâ tamen Reo absentis quaestione proprietatis, prout conformiter juri Civili statutum habetur in *c. Prout nobis. 4. h. t.* pœnam scilicet majorem constituyente jure, ubi major contumacia est, nolente tamen, ut de quaestione, cujus cognitio habita non fuit, sententia feratur. Si tamen ob contumaciam Rei per primum decretum, rei servandæ causâ in possessionem missus sit Actor, & hanc intra annum ob potentiam Adversarii v. g. consequi non possit, nihilominus tamen elapso anno verus rei illius possessor efficitur, ne melioris conditionis sit contumax, quam obediens, ut ait Pon-

tifex in *c. Contingit 9. h. t.* Non amittit tamen reus contumax de Canonica quietate suam possessionem veram, si intra annum compareat: ac cautionem præstet, quod in jus vocatus comparere velit, & interesse competens præstet illi, cuius interest, quod in tempore non venient.

§. IV.

De aliis quibusdam pœnis & modis, quibus contumacia Rei puniatur aut coercetur.

POtest nonnunquam Iudex ob contumaciam, spectatis variis circumstantiis, Actorem non mittentem possessionem rei petite, sed hanc in quietate, & contumacem in expensas a tempore citationis factæ condempnare ab Actore factas ob Rei contumaciam (ut constat ex *c. Ex literis 2. & c. Canon. lecti 6. h. t.*) non quidem ad exitum que causæ, cum Reus, quamvis contumax sit, non debeat ante sententiam commodo suæ possessionis spoliari, usque dum ponatur contumacia in vacatione in possessionem ex primo decreto succedente sequestratione. Sed inde tamen etiam contumacia Rei puniatur suspensione ab officio, & benedictione ac crescente contumaciâ etiam excommunicatione, prout summitur ex *c. Peritatis 8. h. t.* & si malitiosè Actor intentionem probanti peremptoriam exceptionem opponat, quam non probat in continenti, vel expensas Actoris solvendi tenebitur, vel si non possit, arbitrio Iudicis puniendus est, *c. Finem 5. h. t.* ut in injuria fiat Actor, qui suam intentionem probavit.

§. V.

Quomodo citandus sit Reus contumax absens, si non reperitur; & an etiam appellans, & recedens ante sententiam definitivam, iterum citari debeat; & utrum appellans ab interlocutoria potest se lata iterum appellare?

Sufficit in casu, quo personaliter citandus repetiri non potest, ad incurrandam contumaciam, si edictum citationis affigatur in publicis valvis Ecclesiarum vel Curiarum, vel ad domum illius, ubi solitus est habitare c. Venerabilis 10. h. t.

Etiamsi unica tantum peremptoria citatio fuerit, si autem citatus ad totam causam ab interlocutoria, aut alio gravamine, ante sententiam definitivam, recesserit, aut ad Superiorem appellaverit, non debet iterum necessario à Judice inferiore citari ad sententiam definitivam (quia per appellationem talem aut recessum tacite saltem contra talem Judicem protestatur) nisi appellans v. g. facti pœnitens appellationi sponte renuntiaverit. c. Eum qui, h. t. in 6. & Clementi, Si ante, h. t. sed potest ad causam definitivam, eo etiam non citato, procedere, si causa appellationis illegitima fuerit. Plura in Tit. de appella.

TITULUS XV.

DE EO QUI MITTITUR IN POSSESSIONEM, CAUSA REI SERVANDÆ.

§. I.

Quid si missio in possessionem rerum, vel bonorum ex primo decreto, & qui ejus effectus, & quando ac quomodo concedatur, ac fiat?

Missio ex primo decreto est, & dicitur illa, quâ Judex ad instantiam partis primò jubet, præsentem partem, ob contumaciam absentis, mitti in possessionem bonorum petitorum custodiæ causâ, ita ut per talem immisionem nec dominum nec vera & stabilis possessio rei acquiratur immisso, sed de reo tantum, & rei custodia; post annum tamen, nisi cautionem de se sistendo in judicio intra

annum Reus suâ culpâ præstare intermiserit, quamvis voluntatem hujus præstandæ habuerit, in actione reali verus possessor stabilitur, & irrevocabiliter Actor constituitur, & omnia commoda habet veræ possessionis, salvo manente jure proprietatis parti adversæ absenti, prout sumitur ex cap. Constitutis 1. h. t. ut ne scilicet contumacem sua contumacia juvet, neque tamen sine speciali culpa alia proprietate excidat. Patet tamen etiam ex c. h. t. si per Reum absentem non steterit, quò minus intra annum cautionem præstaret, eò quod vel legitime impeditus fuerit, vel cautio à Judice aut alio, cui offerri poterat, acceptata non